



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens Psalmos à 126 ad 150

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, 1765

VD18 15558428-001

Psalmus CXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)

v. 4. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usque in sæculum.

Ratio, cur tantis bonis abundet cœtus fratrum concorditer viventium: quia Deo gratissima est concordia, & charitas fraterna, ideo *illic mandavit benedictionem*, h. e. eam replet copiâ bonorum omnium, idque non ad breve tempus, sed in æternum: nam ideo cum benedictione misit ad eos *vitam usque in sæculum*; quæ omnia hîc in terris habentur in spe, sed in patriâ habentur in re.

PSALMUS CXXXIII.

Titulus, & Argumentum: *Canticum graduum.*

Hic est Psalmus postremus gradualium, qui eos, qui jam feliciter ascenderunt, hortatur, ut vacent perpetuis laudibus: quod est officium habitantium in domo Domini. Pertinet tamen hic Psalmus suo modo ad eos, qui post ædificationem templi, in illo habitabant; & ad eos, qui, dum peregrinantur in terrâ, corde habitare nituntur in Cælo.

v. 1. Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Domini.

Ecce,

Ecce, nunc liberati à tentationibus, & persecutionibus, tempus est, ut toti intenti sitis laudibus Domini; proinde *benedicite Dominum* vos, qui non habetis aliud, in quo illi jam serviatis, nisi in solvendo tributo perpetuæ laudis, & gratiarum actionis.

¶. 2. *Qui statis in domo Domini, in atriiis domus Dei nostri.*

Vos, inquam, qui permanentem habetis domum, nec amplius ut peregrini in tentoriis habitatis: nec solum domum, sed & atria possidetis, ita ut & interiorum domum, ubi Deus videtur, & exteriorum, ubi videntur creaturæ, quæ sunt veluti atria, felicissimi habeatis.

¶. 3. *In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.*

Hortatur servos Dei, ut nocturno potissimum tempore extollentes manus in Sancta Sanctorum, ubi erat propitiatorium, & Arca Dei, benedicat Dominum. Moraliter significat Deum laudandum & in die prosperitatis, & in nocte tribulationis. Sed in sensu præcipuè intento significatur, in Cælo, sicuti semper est dies, si de luce, & tene-

bris agatur, ita semper esse noctem, si agatur de labore, & requie. In his igitur quietissimis, sed lucidissimis noctibus extollite manus vestras beati servi Dei, & ad sanctuarium verum, ubi Deus ipse residet, conversi benedicite Dominum.

v. 4. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit Cælum, & terram.

Hortatus erat servos Dei, ut assidue Deum benedicerent; nunc vicissim illis à Deo benedictionem precatur: sed utitur numero singulari, *Benedicat te &c.*, quia videbat eos ita esse glutino veræ charitatis unitos, ut essent unum in Domino.

PSALMUS CXXXIV.

Titulus, & argumentum: *Alleluja.*

Duo Psalmi sequentes ejusdem sunt argumenti; hortantur nempe fideles ad laudes Dei: unde rectè subjunguntur Psalmis gradualibus, quia optimè conveniunt iis, qui ex captivitate in patriam redierunt, qui que jam gradus perfectionis, Deo juvante, vel ascenderunt, vel in ascensione non mendicium profecerunt.

v. 1. Lau-